

Hanc igitur esse sententiam Christi, apostolorum et veteris ecclesiae sine vlla dubitatione statuimus: Credentes fide in vsu panis et vini fieri vera et viua membra corporis Christi, qui praesens et efficax est per haec symbola, vt per ministerium accendens et renouans corda nostra Spiritu suo sancto. Incredulos vero non fieri participes vel κοινώνους, sed reos corporis Christi propter contemptum. Oramus autem veris gemitibus Filium Dei, vt ipse conuictores suos in ecclesia suauiter et salubriter pascat et ecclesiam lumine verae agnitionis et inuocationis in plurimorum mentibus accenso liberet ab omnibus idolis.

**Secunda pars exegesis de interpretationibus discedentibus et
dissentientibus ab analogia fidei.**

[42:] Testis est historia mundi inde ab initio diabolum mirabilibus artibus insidiatum esse generi humano et, vt Deum contumelia afficeret, plurimos auulsos ab agnitione et cultu veri Dei implicasse idololatria et horribilibus sceleribus. Ipsos primos parentes deceptos opinione propriae excellentiae a Deo auertit, et cum deinde ipsi erecti essent promissione de venturo liberatore, tamen alterum ex filiis, et cum quidem parentibus cariorem abripuit idololatricis opinionibus et cultibus, tandem etiam patricidio inuoluit. Perseuerans vero in prima sua sophistica promissiones et institutiones Dei calumniatus est et hominibus incautis falsum intellectum et mendacia instillauit. Sic cum in prima mundi aetate sacrificia et ipsa agni in artis coelestis inflammatio testimonia externa essent de beneficiis messiae, qui esset futurus victima et deletio peccato excitaturus in cordibus piorum flammam Spiritus sancti, coetus idololatricus praecentore diabolo et ductore patricida Cain promissionem abiecit, Filio Dei maledixit et interea ornamenti causa retinuit signum, cui opinionem meriti addidit neque multo post magna multitudo, vt Chaldaei et Persae ista signa in numina verterunt et finxerunt ignem esse Deum ipsum eumque specioso nomine Orimasda,¹⁴² hoc est lumen Dei, nuncuparunt. Sic Aegyptij coluerunt bouem et paulatim ingens multitudo ethnica externas caeremonias cumularunt et noua numina excogitarunt. In populo Israel eodem modo Pharisei sacrificiis opinionem meriti remissionis peccatorum et aliorum bonorum addiderunt. Saepe etiam populus ad manifesta idola dilapsi sunt. Et accusantur a Stephano sacerdotes, quod templum et arcam tanquam singulare numen coli voluerint.¹⁴³ Non dissimilis vero ratio est huius negocij. Instituit Christus sacramentum, hoc est testimonium applicationis suorum beneficiorum in credentibus, sed homines impulsus a diabolo non diu rectae et probae semitae innixi sunt. Qualis vsus coenae tempore apostolorum fuerit,

¹⁴² Gemeint ist der persische Gott Ahura Mazda. Vgl. zu ihm Gherardo Gnoli, Art. Ahura Mazda, in: RGG⁴ 1 (1998), 231f. Zum persischen Feuerkult vgl. unsere Ausgabe, Nr. 1: Propositiones (1570), 71, Anm. 183.

¹⁴³ Vgl. Act 6,13–15.